



I.

GISB. CUPERI

Epistola ad Joh. Carol. Schott, de dato
Daventriæ 14. Jul. A. 1711.

Maximam mihi delectationem attulere humanissimæ Tuae literæ una cum elegantissima pariter ac erudita Dissertatione de Nummo Augusti, qui per hæc tempora tanquam *Pomum* aliquod *Eridis* exercuit Antiquitatis studiosos, ad me transmissæ. Sententiam ea de re mean⁹ requiris, unaque quid de Nummo Phidonis ab avunculo Tuo in *Theſauro Antiquitatum Regio vulgato*, & à Te, Diff. *Miscellaneis Berolinensibus* inserta, explicato sentiam, cupide rogas, eo quod animadvertisse Tibi visus sis, ex literis ad communem nostrum amicum D. la Croze à me datis, Tecum mihi non convenire.

His ut convenienter satisfaciam, à posteriore articulo initium facere placet. Et primo quidem, quicquid ab illustri Begero de eo Nummo utique nitidissimo dictum, & à Te in illa Tua erudita Dissertatione additum est, id omne summa in estimatione apud me esse profiteor. Porro concedo facile, memorię Phidonis, Ponderum & Mensurarum

A

inven-

inventoris, eum Nummum dicatum esse, ipsumque Phidonem primum
 in Græcia Nummos procudisse, id quod utique à Te abusebat probatum
 est. Nummi hujus eximiam elegantiam & nitorem agnosco, at hoc
 ipsum est quod de ea quæ ipsi tribuitur antiquitate, mihi dubium mo-
 vet. Neque enim fieri posse reor, ut ipsa initia artis summam ejus
 perfectionem attingant. Tanta est impressarum imaginum elegantia,
 ut cælatura jam tum ad supremum perfectionis apicem pervenisse vi-
 deatur, id quod tanten neque factum est unquam, neque fu-
 rum est. Fateor de Homero & Archilochο dixisse Paterculum I. 5.
*In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille
 imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus
 est, neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit,
 in eo perfectissimum, præter Homerum & Archilochum reperiemus.*
 Verum in artibus manuariis, nullo mihi exemplo cognitum est, earum
 aliquam ab ipso initio ad perfectionem ascendisse. Videris mihi Tu
 ipse pondus hujus objectionis sensisse, cum de crassitie & rudi mole hu-
 jas Nummi loquens; *Cur autem, ais, antiquissimi hi Aeginetarum Num-
 mi tam insignem præferant crassitatem, posteriores autem haud parum
 sint majores ac tenuiores, eorum vetustatem in causa esse contendimus.* Experientia enim jam dudum comprobarit, nummis quo vetusti-
 ores eo etiam solere esse crassiores & RUDIORES. Et post pauca:
*Tum enim marculis seu formis ut parcerent, neve sibi ex frange-
 rentur, necesse erat, non valide adeo, neque tam diu malleis eos fa-
 tigare, unde Nummi crassiores, & NON ITA SCITE EFFORMATI
 fuerunt relicti, plane qualiter in NOSTRO ID CONTIGISSE, VEL
 SOLUS NUMMI CONSPECTUS EVINCIT.* Omnes enim, quos un-
 quam vidi, quosque numero haud contempnendo in Regia Brandenburgi-
 geni gaza afferro, Græcos Nummos argenteos, crassitie & RUDI QVA-
 DAM FABRICA SUPERAT. At vero, quod mihi videtur, crassi-
 tie ideo rudem non effecit, & hodienum numismata aurea & argentea
 insigni crassitie fabricantur, quæ tamen miræ sunt elegantia, quantum
 ad molem & ad imagines. Hæc si haud recte se habeant, rudem ve-
 re & informem nummum efficiunt. Jam vero nullus dubito Te mecum
 pronunciaturum, nummum tuum, quoad utrumque, affabre consecutum
 esse, perfecte orbicularem nec inæqualem, cuiusmodi nonnulli Athe-
 niensium cernuntur, quorum formæ identidem rudes & vitiosæ apparent.
 Porro

Porro haud video, cur crassities Nummi elegantiae officiat, neque satis intelligo verba : *Necesse erat non valide adeo, neque tam diu malleo eos fatigare.* Idus enim a monetariis repeti necesse est; donec imago in Nummo satis expressa conspicatur. Ad hoc nihil facit crassities, & hujusmodi Numismata æqualem vim & dexteritatem operariorum exigunt, quæ aliis haud æquali crassitie adhibentur, id quod a me in monetariis officinis subinde observatum est.

Sculptoriam pariter ac Pictoriā Phidoniā Ætate excelluisse oportet, si Nummus de quo agitur ab eo est. Considera, quæso, Scutum, uvam, & præcipue vas utrinque ansatum, quorum ornamenta seu clamantes testes sunt, Nummi eam antiquitatem esse non posse.

Vixit Phidon, secundum Eusebium, anno 1217. ab Abrahamo, & frater fuit Carani, Macedonum regis primi. Ego vero vix persuaderi mihi patiar, eo tempore tam remoto, dictas arres eo usque profecisse, præprimis in Græcia, ubi memorante Qvintiliano XII. 10. pictura primi eminuerūt *Polygnottus & Aglaophon.* Primi, inquit, quorum opera non vetustatis modo gratia visenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur, *Polygnottus & Aglaophon,* quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope RUDIA, ac veluti FUTURÆ MOX ARTIS primordia, maximis, qui post eos extiterunt, auditoribus preferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu. Haud ambigue pronunciat Qvintilianus picturam eo tempore parum excultam fuisse, & qui illorum operum studiosi essent, non eorum excellentia, sed sua ambitione duci, tanquam gloriam intelligentiae artis soli captarent, id quod postremis verbis innuitur. Vixit Phidon & Argis dominatus est anno A. O. C. 350. A. N. C. 798. *Aglaophon* floruit Olympiade XCma, teste *Plinio* XXXV. 9. Olympias hæc incidit in A. M. 3517. A. N. C. 421. Apparet differentia plus quam 350. annorum, quibus velut infantiæ egere artes. Et, quicquid dicat Plinius, XXXV. 8. claros pictores ante XCmam Olympiadem extisse, inferiores tamen fuisse probabile est, his qui post eos fuere. Apposite hic facit, quod Lucretius canit Lib. V. in fine :

*Navigia atque agri culturas, mænia, leges,
Arma, vias, vestes, &c cetera de genere horum,*

*Præmia, delicias quoque vitæ funditus omnes,
 Carmina, picturas, & dædala signa polire,
 Uſus & impigræ simul experientia mentis,
 Paulatim ducait, pedetentim progredientis.
 Sic unum quicquid paulatim protrahit ætas
 In medium, ratioque in luminis eruit oras,
 Namque alid ex alio clareſcere corde videbant,
 Artibus, ad summum donec venere cacumen.*

De pictura loquor, tanquam gemella sculpturæ & cælature, quæque haud dubie parem sortem expertæ sunt. Consentit *Quintilianus*; *Similis*, inquit, *in statuis differentia*. *Nam duriora & Thuscanicis proxima Calon atque Egesias* (floruerunt Olympiade LXXXVII.) *jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit*. Intelligis, ante hoc tempus statuas rigidas & rudes fuisse, cum quæ in tuo Nummo repræsentantur, cuncta sint operis nitidi & eximie elegantis. Et vel ipse idem sensisse videris, cum p. 53. his verbis uteris: *Si objicere porro velis, Nummi nostri figuræ scienter admodum & nimis artificiose esse cælatas, ut tanta artis peritia vetusto illi ævo convenire vix videatur, omnem hac de re dubitationem Pausaniae auctoritate eximi tibi posse confido, cui Aeginetarum opera apud Græcos olim decentata memorantur*. Id ut asseras, locum allegas, ubi de statua agit Herculis apud Erythræos: *Ipsum sane, (nam latine huc transcribere satis erit) simulacrum, neque iis que Aeginæ vocantur, neque Atticorum vetustissimis consimile est; & sane, si quid aliud, est plane Agyptium*. Ego vero hic nihil reperio, quo laudentur Aeginetarum opera, de quibus simpliciter loquitur *Pausanias*, nulla excellentiæ eorum mentione. Potius inde colligendum esse mihi viderur, statuam illam Herculis parum insignem fuisse, quæ antiquissimis Atheniensium & Agyptiorum statuis, haud dubie informibus, comparata sit, idemque necessario de Aeginæ statuendum, quibus hoc simulacrum dissimile fuerit. Idem de duobus sequentibus locis obſervo: *Signum Aeginæ artis est, e nigro lapide elaboratum; & mox: Operis forma ejusmodi, quæ a Græcis Aeginæ appellantur*. Inde enim solum elicetur, fuisse Aeginæ peculiarem sculpendi modum, quo eorum opera dignoscerentur, neque dubitandum est, ibi quoque successu temporis artem

artem eam exultam fuisse, quamquam pro incredibili habeam, jam tum Phidonis tempore ad eam perfectionem adolevisse, quæ in Tu Nummo conspicitur. Prævideo objectionem, a Dædalo ad Phidонem sexcentos propemodum annos effluxisse: *Dædalum*, Eusebio teste, *primum statuis oculos addidisse, & crura manusque iis fecisse, cum antea es- sent demissis manibus ex utroque latere, oculis clausis conjunctisque pedibus*, & per adeo longum tempus artem multum progredi potuisse. Concedo id quidem, verum de eo veteres silent, cum tamen res tam singularis præteriri non debuisset. Qvicquid enim de initiis, quibus pictura & sculptura effloruere, tradunt, ad tempora longe posteriora refertur.

Habes meos in Tuum Nummum tenues observationes, neque spero ægre feres, dubia mea libere & sine fuso me Tibi proposuisse. Ea Te mihi facili negotio exempturum persvasus sum, paratus mutare concepcionem, si ostendatur non satis solidio fundamento niti. Utique Avunculi Tui Tuæque sententiae accedere potius, quam quæ in chartam conjecti, præfracte tueri malim.

Porro in eadem Dissertatione de *Anciliis* quoque agis. Diversa est, quam Festi verbis dare conatus sum, interpretatio, Lib. IV. Observationum mearum, & in promptu esset, quæ ibi allata sunt, insigniter augere: Sed vocat me Tua Nummi Augusti explicatio, & veluti moram accusat. Profecto egregius iste Nummus est, Tuaque de eo sententia tantum mihi placet, quantum cæterorum eruditorum, quas notasti, explanationes displicant. Qvicquid de eo pronuncias, accurate & eleganter dictum est, & quæ ceteris opponis dubia, sua ratione niti videntur. Ergo *Ducenarii* Tuis in eo Nummo locus esse potest, satisque probabile videtur, eos ipsos monumentum hoc honori benefactoris & grati animi causa posuisse, ejusque memoriam Triumvirum hoc Nummo conservare voluisse.

Porro ibidem Inscriptionem attingis, quæ reperitur in Grutero CLIII. 2. eamque sat feliciter emendas. At enim doceri a Te cupio, quid sibi velint A JANO AUGUSTO AD OCEANUM. Mihi videtur locus aut oppidum fuisse ad amnem Bætin, indeque initium dedisse Augustum viæ publicæ ad Oceanum, cuius milliarium CXXI. hic

lapis notabat. Sed de eo penes auctores nihil reperio, quamquam duæ præterea existant inscriptiones, quæ mentionem faciunt oppidi, cui nomen templum Jano dicatum forte dedit. Istarum altera, Tuam emendationem omnino confirmat, dum Cosulatum XIII. & Tribunitiam potestatem XXI, conjunctas exhibit: altera autem a Tiberio viam referat esse docet. Circa vocem CONSTANTIA hæreo. Invenio eam in Nummis Claudi ejusque matris Antoniae. Qvas eruditii dedere eorum explicationes, passim notæ sunt, huic vero loco non conveniunt. Mihi videtur Constantia respicere immensum laborem, qui jussu Augusti ad munierandam hanc viam exhauriendus erat. Sed & ÆTERNITAS AUGUSTI expendi meretur. Mea sententia tanquam votum est pro longa vita Augusti, quo sensu vocabulum passim legitur in Nummis, & Hispanis proprium fuisse videtur, inveniuntur enim Nummi, Tarracone cusi post obitum Augusti, in quibus templo circumscripta leguntur: ÆTERNITATIS AUGUSTI CUSTOS.

Sed & de tributo Tibi sermo est, quod Centesima & Ducentesima est appellatum. Nuper de eo mecum contulit illustris Gallandus, ejus observationes Tecum communicare nunç non vacat, faciam autem alio tempore, si & hæc Te cura sollicitat.

Ut in præsens testatum faciam, Epistolam dissertationemque Tuam mihi gratissimas fuisse, gratias Tibi eo nomina ago enixissimas, vicissimque inscriptionem mitto ex Oriente allatam.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΤΔΙΟΣ
ΜΑΣΙΜΑΧΟΤ ΤΙΟΣ ΦΤΣΕΙ
ΔΕΡΜΟΔΕΣΤΟΤ ΚΤΡΕΙΝΑ
ΦΙΛΙΣΤΗΣ ΤΒ
ΤΟΤ ΦΙΛΑΙΟΥ ΠΥΡΓΟΤ

Tiberius Claudius Masimachi filius (n. adoptivus)
natura vero Hermodesti
Qvirini (tribu) philistes
secundum philætæ curræ.

Tex-

Textus Græcus versioni haud plane conformis est, alia vero inscriptio, priori adjecta, fecit ut paulum a me immutaretur. En Tibi eam.

EN

ΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ Μ.....ΑΧΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

ΦΥΣΕΙ ΔΕ ΕΡΜΟΤΕΣΤΟΥ ΚΥΡΕΙΝΑ ΦΙΛΙΣΣΕΑ ΕΥΣΕΒΗ
ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΝ ΝΕΟΝ ΑΘΑ-
ΑΜΑΝΤΑ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΚΑΘΕΝΑ ΚΑΙ ΚΟΙΝΗΤΗΠΑ
ΤΡΙΔΙ ΠΑΡΕΣΧΗΜΕΝΟΝ ΕΧΟΜΕΝΑ ΤΟΙΟΥΤΟΣ
ΕΙΣΑΙΕΙ ΕΑΥΓΙΗ ΤΕ ΚΑΙ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΑΝΔΡΑΣ
ΓΕΙΝΕΣΤΑ

Plane appareret, hunc eundem esse *Tiberium Claudium filium Mifimachi adoptivum & natura Hermodesti*, cui monumentum sacramum est; at vero probe notandum, eundem Tiberium dici esse etiam ΤΙΟΝ ΔΗΜΟΤ., *filium populi*. Ecce locum, quo docemur, oppida quoque adoptrasse filios, quod ipsum, quantum ad filias etiam a me demonstratum est per duas alias inscriptiones, & unum alterumve locum Veterum, in epistola ad R. P. Montfauconium, qui me primum hoc eruisse mihi gratulatus est. Ipse vides, hanc agendi rationem per illam confirmari, eaque nos doceri, Tiberio duos fuisse patres adoptivos, alterum privatum, *Mafimachum*, alterum civitatem, quod mea sententia apprime est notabile. Vocabulum ΦΙΛΙΣΤΗΣ mihi plane est incognitum, & τοι suspensionem movet, nomen esse officii, Tiberiumque hunc custodem fuisse turris Philiæ, quæ in altera inscriptione ΦΙΛΙΣΣΙΕΑ vocatur, idque cum priore fere consonat, remque eandem haud dubie significat, quamvis non satis mihi constet utra scriptura vera sit.

Quid sibi velit ΝΕΟΝ ΑΘΑΑΜΑΝΤΑ, ignorare me fateor, & magis etiam; an reponendum sit ΑΘΑΜΑΝΤΑ, idque referri debere ad *Athamanter* Nepheles maritum. Qvod si per Te licet, transformarem in ΝΕΟΝ ΑΟΛΑΜΑΤΑ, quasi dicat, juvenem adhuc multum laboris in gratiam privatorum pariter atque pro republica suscepisse. Vide-

Videtur mihi legendum esse ΕΤΧΟΜΕΝΗ ΤΟΙΟΥΤΟΣ, hoc est, optare patriam & vota facere, ut tales viri sibi semper existant, licet non satis capiam, quare appositum sit ΕΑΥΤΗ ΤΕ ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΔΙ, nisi nomen uxoris Tiberii in capite monumenti deletum fuerit.

Responsum

J. C. Schotti ad præcedentem G. Cuperi epistolam.



Ratias Tibi ago debitas de honore, quo me afficere voluisti per humanissimam 14. hujus mensis ad me datam epistolam. Dissertationem, quam de *Ducenariis Augusti* Gallico idiomate vulgavi, Tibi probari, tanto mihi gratius accedit, quanto magis publicæ quoque approbationis exinde fiduciam concipio, ad Te enim, tanquam judicem in hujusmodi operibus & quæstionibus super antiquitate maxime idoneum, jure merito cuncti respiciunt.

Qvod attinet ad *Inscriptionem Milliarem Augusti*, quæ apud *Gruterum* extat p. 153. n. 2. emendationem meam, *Cos. VIII* in *Cos. XIII.* omni dubio carere mihi persvadeo. Ceterum verba *A JANO AUGUSTO* de oppido hoc nomine insignito, & ad amnem *Batum* situm, accipienda esse, quæ Tua est opinio, quæque fuit etiam *Cellarrii* in *Geographia* T. I. p. 95. 97. mihi quidem non videtur. Tempulum *Jani* potius eo nomine designari crederem, ejus fluminis ripæ adpositum prope *Cordubam*, eique nomen a statua Dei impositum, quæ forte ibi culta fuerit, sub nomine *JANUS AUGUSTUS*. Constat enim ejusmodi cognomina olim diis gentilium attributa fuisse, quale *Apollini Augusto*, *Herculi Comiti*, & similia. Confirmat hanc meam sententiam *Morales* in *Chron. Hispan.* T. L. Lib. VIII. p. 194. 195. quem locum